

VM

iron

tion

tion

and






Am heiligen Buche ist ein heiliger
Abdruck mit N. 13. bezeichnet, aus
Johann. Joh. X. 22. fo. 41. 43. 24.
in N. 3. Teil

Q 3.55 (1-36)

R



1

DE LAVDIBVS
IESV CHRISTI
FILII DEI ET
HOMINIS


ORATIO

M. Calebi Trygophori
Corbacensis.

Habita Francofurti Marchionum pridie nata-
litia Anni labentis 88,



Typis excrispsit Andreas Eichhorn.



*Eximia spe summa virtutis adolescenti L AV-
RENTIO ZOCHIO, discipulo & amico suo charissimo,
felix noui anni auspiciū precatur Caleb
Trygphorus.*

ua singula alios ad literarum studia religiose colenda alligere possent, ea tibi Laurenti animū facere debent vniuersa. Siue enim fortuna bona spectantur, patrimonium satū copiosum a parentibus tibi relictum est: siue ingenij dona perpenduntur, ne ea quidem natura denegauit: siue deniq; sanguinis habetur ratio, quid maioribus tuis praestantius? Restat vt quod potes velis, adiumentūq; a Deo, qui bona sua mortalibus labore vendit expectes. Enimvero ne nunc vtar ijs quae ad praecellam studiorum dignitatem, utilitatesq; vberimas demonstrandas adduci possent innumera: ac neminem vquam clarum vixisse dicam, cui non ad illustrem gradum literae faciem praetulerint: eos tantum tibi offero, quorum vt facultatum, ita & famae hereditas ad te delata est. Adspice eruditionis eximia comitem vitam affinis & hospitii tui clarissimi, cuius vultum & os quotidie adspicis, facile cognosces in mente eius illud futuri saeculi haerere augurium, quod vt non tam praemia recte factorum, quam ipsa recte facta sequatur admonet. Adspice reliquos tuos affines, quorum vtrumq; insignis doctrina in Illustrissimorum Principum tabularia euexit. Putasne eos omnes ad id honoris fastigium adscensuros fuisse, vt nominis sui memoriam ab interitu vindicarent, nisi ad ingenij cultum conuersi, virtutis & sapientiae studijs a prima aetate se dedidissent? Horum tu igitur vitam & facta sequaris oportet, vt laudem eorum & gloriam consequaris. Deum Opt. Max. oro, vt Spiritu suo actiones tuas gubernet, ne Zochiana domus splendorem suum amittat, sed pristinae lucis radios ad posteritatem transfundat. Ego quantum in me est nihil omitam, quod ad progressum in studijs tuis maturandum facere videbitur. atq; vt animi erga te mei aliquod signum extet, en oratiunculam hanc meam strenue loco tibi dedico: quam vt beneuolē accipias, ac me cum tuis amare ne desinas precor. Vale. Francofurti Marchionum prid. non

Ianuarij, Anno 1589.



O D E
In Orationem M. Calebi Trygophori
Corbacensis.

Per laudis merita viam
Cum tu bisgeniti Principis, ô mea
Siren, Tulliaco sono
Contendis, calamo Tulliaco, incitus
Sacra pectora Flamine,
Opracorâia feruent mea, cor meum
Se distendit, & intumet
Contactum solidis ignibus, hunc grauem
Nitens rumpere corticem,
Exsultat mihi mens, seu sacro acinace
Hostes orcifragi necas:
Seu sancto repetis codice, & aurea
Doctis voce refers viris,
Quæ quondam tulerit progenies Dei,
Et nunc mitis, uti beet
Immites homines: sue pius Deo
Grates pro meritis agis,
Et mores hominum corrigis improbos.
Quid? si te satis audiam,
An demens alium cum stupido grege
Messiam opperiar, malos
Qui tristi exsilio educat Adamidas
Indulcem patriam & mihi
Is dudum genitus, quem Deus arbiter
Aui Maximus Optimus
Omni parte sui luminis imbuat,
Felices ter, & amplius,

Huius

Huius qui dederint vnus in fidem
 Se totos, neq; perfidi
 Diffidant fidei ipsi, Domino Deum:
 Non illi metuent necem,
 Non hostem stygium, liberi ab omnibus,
 Que sors cunq; vehat, malis
 Cernent perpetua luce Deum patrem.
 At tu, ô delictum meum
 Calebe, ô anima dimidium meæ,
 Calebe, ô Clarj Dei
 Miles, cui nequijt Cynthia ocia,
 Haud raro meritos nequijt
 Somnos Cynthia suadere, nec Hedone
 Leuit pectora saccharo,
 Non Siren labijs suaue sonantibus
 Delinijt, Glycera nitor
 Non vsit nimium lubricus adspici.
 O felix animi, ingenij;
 O felix studiorum iuuenis: mi age
 Sic perge, & tibi quod via
 Restat, curre alacer, feceris? en tibi
 Partem Tullius eloquij
 Oblatum iuerit ipse eloquij parens.
 Quod si non Latio modo,
 Sed nec Teutonico dicere spreueris
 Ore, & Christiadam gregi
 Summi iussa Dei pandere, mox tibi
 Augescat caput insula,
 Te Phœbea cohors laudibus efferat:
 His Lutheri animus sies,
 Illis doctiloqui suada Mathesij.
 Stephanus Didacus Lubecensis.

A 3

CHRI

CHRISTO RE GINATO SACRA ORATIO.



Illuſtris ac generoſe Dn. Comes,
Sp. Dn. Decane, viri, claris. iuuenes doctiſſimi &
humaniſſimi: Romanos accepimus in hono-
rem Veturig ac Volunnia vt ſexui ſœminino vi-
ri ſemita cederent ſanxiſſe, iſdemq; ædem & a-
ram perpetua animi grati monumenta erexiſſe:
quòd illa filium, hæc maritum Coriolanum vrbi ingrata cum in-
genti Volſcorum exercitu bellum & arma inferentem precibus
placârît, atq; adeò præſens exitium à reſtis vrbis ac mœnibus auer-
terit. Quod ſi vnus vrbis liberatores tanta honorum inſignia de-
portarunt: quam totius orbis Redemptori referemus gratiam, qui
pro ſalute noſtra æterno parenti, ſupplex iræ ardorem exſtinxit, &
acerbiſſimum à nobis interitum amolitus eſt? Quare cùm in
omnibus materijs tractâdis verſari ſoleam alacrius, quàm videatur
vel ingenium meum vel doctrina permittere, in hac ita me multa
oblectant, vt quantum mea ignorantia facultatis mihi, detrahit ad
laudes Seruatoris noſtri exprimendas, tantum audaciæ animus ad-
ferat. Primum enim dico de beneficijs Filij Dei, quæ etiamſi infi-
nita ſunt, & immenſa, tamen ea quæ ex ipſius natiuitate proficiſ-
cuntur ita ſunt ampla, vt ad hominum lætitiã nihil accommoda-
tius, nihil ad communem ſalutem vtilius dici cogitariuè poſſit.
Deinde quanquam fortaiſſis non neminem à dicendo abſtrahit vi-
rorum præſtantiſſimorum præſentia, auditorumq; eruditorum fre-
quentia, quorum doctrina videtur orationem requirere acriori con-
ſectam ingenio, maiori elaboratam industria: tamen veſtra attentio
tenuitati meæ beneuolentiã fauoremq; pollicetur. Merito igitur
cum gaudio hoc conuentu & hæc veſtra frequentia nitor, in veſtris
oculis vultuq; acquieſco: in ea præſertim cauſa quæ non tam co-
piam

piam in dicendo quam modum postulat. Mouet me etiam diabolus
importunitas, qui si vnquam fremit, hoc certè tempore ardet furo-
re, furit audacia. (Id quod non aliorum sermone magis, quam ipsa
experientia edocti, animaduertere ac memoria tenere debemus. Ac
ne longius quam par est oratiunculæ initium extendatur, videre
quid usus ferat, si qui heroum filij nascantur, quomodo ad gratu-
landum ipsis Sicelidum Musarum auxilia implorentur, & omnes
ingenij vires ad eorum descriptionem conferantur. Hoc si autori-
bus decorum, infanti laudabile, parentib. gratū est: quis non omni-
bus modis huic tanto heroi, tanti parentis proli placere studeat?
Vos ergo auditores humanis, quando hoc dicendi munus nō ostē-
tationis causa à me, sed gratitudinis studio suscipi animaduertitis:
concedite mihi quæso ad dimidiū horæ beneuolas aures, ac si quid
huic negotio vobisq; auditorib. minus conueniens attulero, partim
ingenij imbecillitati, partim rei magnitudini tribuite. Vt verò com-
modus rem ipsam aggrediar, primū mihi de natiuitate regis no-
stri, deinde de beneficijs eius natiuitate partis, tum de muneribus
quibus est ornandus, dicendum videtur. Ac primam quidē partem
velim non vestra causa me tractandam sumpsisse putetis. Scio n.
ex vobis neminem esse, qui Christum verum Deum & hominem
natum dubitet, neminem qui hoc non animo credat, ore fateatur:
Illorum tantū eam opponam audaciæ, qui malitiāne dicam sua
adducti, an diuino iudicio impulsī, eam rem cuius veritas tot homi-
num fama confirmata, tot annalium monumentis mandata poste-
ritatiq; propagata est, in dubium vocant, vehementissimèq; op-
pugnant. Et quoniam nihil apud eos religio, nihil Ecclesiæ va-
let auctoritas, non vtar ijs quæ à quatuor Euangelistis eius rei testi-
bus dignissimis ita tradita sunt, vt vndique facta non ficta appare-
ant, neque adhibebo Ecclesiam, cuius testimonium ipsis sanctum
esse debebat: non quod multitudine fidem impetret, sed quod
horrendis persecutionibus afflicta, infinitis quassata hæresibus,
manifesta Spiritus sancti ope contra omnes impetus veritatem
huius rei immotam seruauerit. Rationibus tantummodo ipso-
rum contrarias rationes objiciam, vt, si in viam reuocari non pos-
sunt,

sunt, (hoc enim prorsus desperandum videtur) errorum tamen quibus submersi sunt crassities cunctis innotescat. Ac licet omnia negent, hoc negare neque possunt neque audent, Messiam nasciturum fuisse, & quidem imperio à Iudais nondum ablato. Adest Iacobus, cuius ipse DEVS, si quando magnificentiam suam & veritatem hominibus demonstrare vult, DEVM se nominat. Adest Micheas, cuius varinationes, nisi Prophetarum scripta rem commentitiam ac futilem arbitrentur, infirmare nequeunt. Horum alter regnum, alter urbem Iudaicam, quibus nondum euerfis Christo prodeundum erat, nomine exprimit. Danielis testimonium prætereo, cuius hebdomadæ, vel ipsis testibus, iam pridem effluxerunt. Quousq; igitur gens impia suis delectabitur somnijs? quamdiu venerandam Dei veritatem eludet? Num concidisse suum imperium non videt? politias Mosaiacas deletas esse non sentit? Ipsa certe Bethlehemi cadauera Hierosolymæq; diruta tecta, si, quem natura negauit, sermo contingeret, ipsam mendacij conuincerent, incredulitatis arguerent, mortis æternæ damnarent. Non enim se nunc tam oppida quam casas, non tam Messiaæ domicilium, quam latronum speluncam esse cum dolore proclamarent. Vtinam gens perditæ animi acie intueretur arcam illam fœderis, quam ipsius maiores corporis oculis aspexerunt: facile imaginem Messiaæ ex ea colligerent. Illa ex auro & ligno constitit, hic Homo est & DEVS: illa legis tabulas complexa est, hic mentem eius exponit & complet: Illa pane cœlesti & Aaronis virga ornata fuit, hic vitam quam in crucis ara posuerat, sibi restituit, alijsque fide comprehensus impertit: Illa à Leuitis, hic ab Apostolis est circumlatus. Sed occurrant hic nobis, & quem natum dicimus Christum, non tenuisse huius mundi imperium, nec Abrahami posteros, quod Messiaæ sit, in libertatem vindicatos, opibus cumulasse adferant. Mallem equidem dementiæ crimen metuerent, quam hæc tam insulsè ac temerariè effutirent. Qualis enim ea est gubernatio, quæ mundi legibus exposita, mundi vices singulis temporum momentis experiri cogitur? Quomodo quod terrenum est à corruptione alienum esse potest?

potest? quomodo verò quod corruptioni obnoxium est, CHR I-
S T I imperium nominabitur? quod perpetuum fore omnium
Prophetarum scripta docent, vniuersa testatur antiquitas. Cum
Iacobus D E I in fide victor, ad patres suos abiturus testamen-
tum faceret, inter alios duces è prosapia sua orituros spiritu præ-
uidit Simsonem ceu colubrum in via equi vngulas perstringen-
tem: & quanquam ipsum robore giganteo hostium vires proflig-
aturum, & iniurias populo D E I illatas acerrimè vlturum præ-
sensit: tamen ab isto sole auersus ad verum Iusticiæ Solem, his
verbis mentem direxit: D O M I N E, spero in salute tua. Hunc
enim non leonis, sed diaboli fauces dilaceraturum: non portam
vrbs Gazæ in montis verticem, sed inferni fores & carcerem in
cœli arcem gestaturum: non denique morientem Palestinos,
sed ipsam mortem prostraturum contriturumque prospexit.
Cum Iacobo igitur à Messia nostro non perituras huius mundi
& fluxas expectamus diuitias, sed eas quæ perennes sunt, quæ
nullius vnquam seculi iniquitatem pertimescunt. Quæ cum
ita sint, potestis iam constituere, num respondere possimus Iu-
dæorum delirijs, qui non modò errata sua non agnoscunt, sed ar-
ctè tenere, acerrimè defendere, & alijs veri instar obtrudere co-
nantur. Non me hoc loco scelerata eorum mouet impietas,
qui C H R I S T V M quidem natum esse, non, vt illi, negant, sed
tamen veteratorum more in persona eius describenda ludunt.
Hominis enim naturam ipsi tribuunt, D E I essentiam, atque a-
deò salutis firmamentum adimunt: ideò quod rationi minus
consentaneum videatur, finitam naturam cum infinita, morta-
lem cum immortalis, creatricem cum creata coniungi. Ignorant
videlicet qui ingentem cœli ac terræ molem sine vestibibus, si-
ne machinis, sine ministris solo verbo exstruxit & condidit: qui
diuisis ponti vndis profundi alueum siccauit: qui soli ac lunæ
frénos iniicit: eum naturas duas in vna persona iunctas
è virginis utero pro immensa sua sapientia posse producere. Di-
cant nobis qua ratione rubus in igne inuiolatus permanferit: &
nos dicemus quomodo in Deo consistat homo. Montem Abra-
hamus

B

hamus



hanus cum filio conscensurus; Asinum in planicie relinquit:
nec nos hanc sapientiæ altitudinem ratione sed fide adseque-
mur. Vnde non incoite Alanus curiosus de hoc negotio percun-
tantibus respondet:

*Hic natura silet, Logica lex exultat omnis
Nature perit arbitrium, ratioq; vacillat.*

Mirabile enim nomen; mirabilis persona, mirabilia opera fa-
ciunt, vt Puer hic Mirabilis à Propheta appelletur. Quare va-
leant Luciani illi; & Herculis sui partem in coelo ad Heben, par-
tem in inferno ad Diogenem ablegent, corpus autem in Oeta se-
peliunt, atque os fores lucis gaudeant tenebris cœcorum cœci du-
ces. Nos quidem certè non nasciturum CHRISTVM expecta-
mus, sed natum colimus: & cum Patriarcha scalam non cœlum
aut terram tantum; sed vtrumq; simul extremitatibus tangentem
amplectimur, Messiam non aut DEVM solummodo, vt Arrius,
aut hominem, vt Eutyches; sed cum homine Deum adoramus.
Arriident hîc Bernhardi verba, quæ in vigilia natiuitatis DOMI-
NI, sermone 3. talia leguntur: Sicut in illa singulari diuinitate
Trinitas est in personis, Vnitas in substantia: sic in ista speciali
commixtione Trinitas est in substantijs in persona vnitas, & ibi
personæ non scindunt vnitatem, vnitas non minuit trinitatem:
ita & hîc persona non confundit substantias, nec substantiæ ipsæ
dissipant vnitatem. Summa illa Trinitas hanc nobis exhibuit
Trinitatem opus mirabile opus singulare, inter omnia & super
omnia opera sua. Verbum enim & anima & caro in vnâ con-
uenere personam; & hæc tria vnum, & hoc vnum tria non con-
fusione substantiæ, sed vnitatem personæ. Plura hac de re verba fa-
cere omitto: vobis enim certa est, illis inutilis, siquidem erroris
itinere cincti ad initeritum voluntarium indefatigato cursu pro-
perant.

Ad beneficia venio; quæ Pueri nostri natiuitatem comitan-
tur; ea quamuis tanta sint; vt nullius dicendo vi in scribendo co-
pia enarrari satis, ne dicam exornari possint: breuiter nihilo-
minus

minus & quasi summam præcipua comprehendam. Vos quæ-
 so vt adhuc me attentè audiistis, item quæ reliqua sunt audia-
 ris. Iam ad bona quæ nobis hoc partu parta sunt magis perci-
 pienda, recognoscite mecum malum illud, quo antea grauati era-
 mus, nunc sumus leuati. Cum enim initio DEVS mirando
 artificio egregium hoc mundi theatrum ædificasset, cœlum astris,
 terram frondibus ornasset, tandem in facto homine acquieuit,
 homine delectatus est, cum homine se & omnia sua communi-
 cavit, ab homine coli & laudari voluit. Itaque etiam arbore
 scientiæ ipsi interdixit, vt erga se obedientiam cognosceret, de se
 colloquendi occasionem præberet. Quid multis? vni homini
 omnia arridebant, fauebant elementa, ipsæ animantes eius man-
 datis parebant: Verùm serpens antiquus, architectus sceleris,
 portentum ac funus generis humani illam Deo voluptatem ho-
 mini felicitatem inuidit. Pests enim hæc Euam, Eua mari-
 tum ad arboris vetitæ fructum carpendum impulit. Ita vnus ho-
 mo, vnum pomum, vna transgressio gaudium & vitam omni-
 bus eripuit, tristitiam & mortem applicauit: atque iste lapsus
 verè lapsus sanctitatis, ruina iusticiæ, sapientiæ vastitas, macula
 virtutum omnium in homine exstitit. In hac tanta pernicie quo
 animo Adamus fuerit cogitate. Non enim si debilitata fuit ra-
 tio, continuò extincta est: quæ nihil nisi æternæ mortis imagi-
 nem ipsi obiecit: cum Dei iusticiam, quæ inobedientes perire
 velit, immutabilem esse docuit. Hic quantum quæso à despera-
 tione ipsum abfuisse existimatis? Hoc fuit telum quo pectus
 fauciatum, hoc fulmen, quo spes omnis vitæ comminuta est.
 Ad huius vehementiam tacuit tellus, tremuit vnda, rerum vni-
 uersitas horruit. Sanctitas ex hominum mentibus sublata ceci-
 derat, opus illud quod ad Creatorem proximè accedebat, totum
 erat in diaboli potestate: homo lapsus non paratus erat ad tan-
 tum hostem effugiendum. Cum ergo neque ipse sibi neque
 quicquam aliud opem ferre & dare solatium posset: diuina cle-
 mentia vt huic malo succurreret, permota est: Tuque sancta
 Dei progenies ad istum nodum aperiendum oculos aperuisti:

tu inobedientiam obedientia resarciendam, vitam morte comparandam esse docuisti: per te dulcissima promissio venturi seminis Adamum in tanto timore excepit, diffidentem rebus suis confirmavit, adlictum erexit, perditumque recreavit. Facile æstimatis cum hic sit exorsus beneficiorum, quid de nostri Regis natiuitate sentiendum sit: quæ re ipsa exhibuit, quod tum spe fuit conceptum. Posteaquam enim eadem promissio aliquoties repetita, & maioribus renouata erat, elapsis aliquot seculis, Filius hic DEI de cœlesti sede in terram sicut pluuia in velus descendit, nouo ordine noua natiuitate generatus. Nam DOMINVS Maiestatis, quem ne totus quidem terrarum orbis capit, à virginis visceribus exceptus est & genitus. Eius igitur dici memoriam nunc alimus, quasi non fuisset ortus, nihil supererat, quo minus omnes occideremus. Intolerabilem Patris iram, qua nos tenebamus, in se recepit: Legis chirographum deleuit: vim peccati compressit, aculeum mortis euellit, potestatem Diaboli fregit: vitam & iusticiam DEI reparauit: quæ quanta sint beneficia, etsi ipsi intelligitis, tamen à me in dicendo prætereunda non sunt. Non enim, si quid ira DEI sit quærimus, talis est qualis solet esse hominum: quæ ipsa tamen ubi primùm ardere cœpit non facile deletur, sed ei à quo excitata est, quantum potest maximum dolorem gestit inurere: Ea est, Dei ira, quæ vt mare immensum effernescit, quæ flammæ instar consumit ac deuorat quicquid offertur, cuius adspectu terrentur angeli, concutitur cœlum, quæuis animantia consternuntur. Nunquid Dathanum, Abironem & Choren viuos fundamentis terræ dehiscensibus esse absorptos dicam: cum ciuitas 60. stadiorum ambitu circumscripta cum vicinis oppidis Asphaltitelacu contegatur? An è sexcentis millenis viris solum Iosiam & Calebem in deserto mortem euitasse commemorabo: cum vnus Noa cum vxore ac filijs supra orbis terrarum ruina nauigauerit? Quid Lex? quàm dura est? quàm horrida? quàm aduersaria cunctis ac funesta mortalibus? cum ne minimum quidem eorum quæ præcipit, efficere per nos possimus.

Accedat

Accedat enim aliquis moerore confectus, horroreque percussus ad Moſis tabernaculum: parum profectò recreationis inde ſecum auferet. Nam, iram Dei, inquiet, tibi denuncio. cur peccaſti. at bona etiam egi? perfectam obedientiam requiro. Sed eam nemo poteſt præſtare? Non curio. Omnes igitur homines peribunt? Maledictus qui non manet in omnibus quæ ſcripta ſunt in lege hac. Cur ergo, quæres, præſcripſit nobis legem Deus, ſi nemo hominum ſatisfacere ei poteſt? Non eam ob cauſam dedit, vt per nos & ſponte mandatis ſuis obtemperare, & ad voluntatem ſuam dirigere nos vitam poſſe oſtenderet (nouit enim imbecillitatem noſtram & fragilitatem) ſed vt monſtraret peccatorum ſentinam in peſtoris noſtri latebris reconditam. Cur autem maledictionem addidit? Mens Dei iuſta nil niſi iuſticiam quærit: atque idcirco nos omnes peccatis polluti, iniuſticia ſordidi, ſeneriſſima legis ſententia iure occidiſſemus, æternæque damnationis rei interiſſemus, niſi huius Pueri natiuitate eſſemus ſeruati: quæ deleta eſt macula iſta, quam ſuperiori tempore in Paradifo ſuſceperamus, quæ penitus iam inſederat atque inueterauerat in generis humani nomine: quod is qui vno die totum mundum in æternam mortem præcipitauerat, non modò adhuc pœnam nullam ſuo dignam ſcelere percepiffet, ſed ab illo tempore annos iam plurimos regnaret, & ita regnaret, vt ſe non in inferni recessibus occultare vellet, ſed emergere ex iſto regno & in populo Dei, hoc eſt, in Eccleſiæ luce verſari. Poſteaquam enim ipſum ſuperbia inflatum cœlum euomuit, in terram venit, ira & odio inflammatus, arſerunt oculi, totoque ex ore crudelitas emicuit. Simite hoc loco præterire me noſtram calamitatem, quæ tanta fuit, vt non ad gentem aut nationem aliquam, ſed ad mortales vniuerſos ac ſingulos promanaret. Non enim ad obliuionem veteris belli, ſed ad comparationem noui omne reliquum tempus tranſtulit, quod cum indicere maieltati ac potentie diuinæ non poſſet, importare ijs tentauit, quos fraudiſuæ miniſtrè obſtituros eſſe cognoſcebat. Tollebat ex hominum animis ſanctiſſimam religionem, vt cultum & honorem

Dei tolleret. Instituebat contemptum mandatorum diuino-
rum, luxuriam, auaritiam, rapinas, caedesque nefarias, quæ lite-
ris exprimi singula nequeunt. Ab eo enim tempore quo Abe-
lem per Cainum in agro furtim obruncauit, quot seditiones
commouit? quot bella cieuit? Tum verò Ecclesiam vniuersam
petebat, templa Dei immortalis, vitam sacerdotum, gregem de-
nique Dei totum ad exitium & vastitatem vocabat, designabat
ad interitum vnumquenque nostrum. Capti nos omnino &
seruituti sempiternæ eramus addicti. Mors enim peccati, cui
nos omnes seruebamus, est stipendium, ex cuius vinculis exi-
mere se quis potuisset? Diabolus homines seducebat, sedu-
ctos mors occidebat, occisos inferni fauces concludebant. In-
natum innatum erat atque infixum nobis malum illud, ad quod
declinandum nulla vis, nullum robur, nulla valebat potestas.
Lugente igitur Ecclesia, mœrente sanctorum ordine, squalente
religione, Immanuel noster superauit importunum illud animal,
& seruitute perrupta libertatem nobis recuperauit. Quemad-
modum enim per serpentis speciem Diabolus hominem, sic per
hominis formam potestate dissimulata CHR I S T V S diabolum
est aggressus, cepit, necauit. Depingenda quidem hîc erat
horrenda peccatorum moles, promenda mortis acerba spicula,
tristes inferorum portæ referandæ, vt sulphur & ignis, lamenta-
tio & mœror sine spe, sine fine, sine modo elucerent. Verum
recordatione horum malorum adeò moueor animo, adeo toto
corpore perhorresco, vt oculi, vultus, verba cadant. Idcirco ijs
omissis ad Regem nostrum me confero, cuius natiuitas id effe-
cit, vt possimus de omnibus his malis dicere, nullum esse, quod
non aut ita sublatum sit, vt vix exstet, aut ira fractum vt langue-
scat, aut ita mitigatum, vt nocendi vires penitus amiserit. Cum
enim ira Dei leniri non posset, nisi satisfactum legi, & mors vi-
cta esset, V E R B V M illud per quod geniti sumus cum nihil esse-
mus, nos ex Adamo infelicitèr natos denuo natiuitate genuit sua.
Itaque etiam hominem in personæ vnitatem adsciuit, vt mor-
tem homo sentiret quod D E V S non poterat, eandemque Deus
supera-

superaret; quod non poterat homo. Minus fortasse splendidi-
dam hoc beneficium videretur, si eiusmodi esset, ut ab alijs ex-
pectari idem posset: iam cum neq; angelum virtus ad hæc nec nerui
hominum valuerint, quis est qui de magnitudine eius dubitet?
quis qui non vberimum esse statuat? Angelorum vis magna
est, non nego: natura intaminata, non repugno. at verò hæc ma-
la omnibus fuerunt potiora. Quod si angelorum firmitudo
infirmata fuit: quid effecturus fuisset homo, qui iners & langui-
dus imo mortuus iacebat. Quotus enim quisque à parentis
malitia deflexit? quæ vitiata radice non vitiata semper propaga-
permanet? Quomodo autem qui mortis reus est, mortem vin-
ceret? aut qua ratione alios à peccatis liberaret is, qui ipse pecca-
torum pœnas luere cogitur? Quod à nemine præstari potuit,
ab hoc Rege nostro præstitum est. Hic iustus procreatus est, ut
iniustus iusticiam redderet. Hic Legis iugum subiit, ut qui sub
Legis seruitute erant, libertati restitueret. Hic quod in Ada-
mo perditum erat retulit, & Eux maledictionem in benedictio-
nem salutemq; conuertit. DE VM immortalẽ, tantum hanc vi-
nam natiuitatem potuisse, ut qui antea Dei eramus inimici, nunc
simus amicissimi: & quem Adamus tanquam infestissimum
hostem fugit, eum nos tanquam amantissimum patrem compel-
lemus. O felices, qui hoc nomen sibi acquisierint, ingratos
qui profanum fecerint, miseros qui amiserint? Cum enim vi-
res debilitatæ cessant, cum robur fractum concidit, pallent mem-
bra, sanguinis calor in frigus euadit horridum, cum nos mundus
relinquit, creaturæ deserunt: mors cum lege, peccatis, inferno
stipata accelerat, cum oculorum acies hebescit, linguæ vigor cor-
ruit, corpusque sensibus exhaustum morti obijcitur: quo fugie-
mus, nisi frater in Patris domicilium nos receperit? Nulla elo-
quentia tanta est, quæ primæ creationis munera adsequi aut ve-
here conueniente laude possit: attamen hoc affirmo, & hoc o-
mnium pace dicam, nullum in his esse augustius eo quod ex
CHRIST I natiuitate progressum est.

Ponamus

Ponamus ante oculos quælibet animantium genera: nullum inueniemus quod cum homine aut ortus nobilitate, aut numero virtutum, aut donorum varietate possit conferri: nec verò vllum, quod ratione res alias percipiat, oratione proferat, quod ad imaginem Dei conformatum, ad eiusque cognitionem destinatum fuerit, quæ quidem si cuiusquam mens aut cogitatio se capturam speret, amens sit. Sed sunt alia maiora. Nam præstantia ista, quam in creatione homo erat adeptus, ita priuatus erat, vt qui felicitate par erat angelis, idem miseria bestias superaret. Etiam si enim vel diuinis ornamentis fuerat præditus, damnatum tamen quouis malo tectius ipsi impendebat, vt non immeritò D. Ambrosius se plus debere Christo dicat, quod sit redemptus, quàm quod creatus: cum testante ipso Christo satius foret non viuere quàm miserè. At verò hæc dona quibus nunc sumus ornati perpetua sunt, his nulla vnquam auferret finem ætas, hæc ipsa æternitas semper intuebitur. Quid quod sine hoc Rege nostro quæ vera salutis via sit ignoramus? Quæ Dei sunt consilia, qui sensus, nobis demonstratum est? demonstrauit CHR I S T V S. Caligines huius mundi ac tenebræ illustratæ sunt? illustrauit Christus. Expeditum ad cælum iter patefactum est? patefecit idem Christus. Nisi temporis obstaret angustia, densa nox cæli splendore nitesceret: angeli ab hominibus segregati cum hominibus congregarentur: Deo gloria, pax terræ, beneuolentia homini hac natiuitate tribueretur. Verùm contrahenda sunt vela, & quoniam semihoræ saltem spacium à vestra humanitate petij, ad id festinandum est, quod mihi extremum proposueram cum de Rege nostro eram dicurus. Nam cum non solum natus sed nobis natus sit: quis est ille tam stupidus, tam omnium rerum ignarus, qui non intelligat se ad immortales gratias ipsi habendas esse adstrictum? Quod si pro singulis meritis diuinæ clementiæ deuincti sumus: quid de hoc tam illustri statuemus? quibus laudibus prosequemur? qua reuerentia complectemur? Eduxit nos antea ex carcere vteri materni: nunc à laqueis Sathanæ vindicauit. Antea donauit
nos

nos possessione huius mundi: nunc coelestis regni hereditate exornauit. Curauit antea ne quid corpora nostra detrimen- ti caperent: nunc animabus requiem immunitatemque compa- rauit.

Tot beneficia, quorum nonnulla proposui, omisi plurima, si innocentia, si dignitate, si meritis consecuti sumus: non est quod vehementer hic laboremus. Sin autem illum è coelo in terram, non merita nostra sed peccata traxerunt: ille bonitate ac misericordia incitatus, vitam nobis, salutem orbi terrarum attulit: tandem aliquando nos plurimum ipsi debere agnosca- mus.

Maiores nostri hanc natiuitatem cum gemitu efflagita- runt, cum gaudio futuram sperarunt, cum gratiarum actione celebrarunt. Possem proponere preces eorum religio- sissimas, commendationes suauissimas, vitas in spe solius Mes- siae acquiescentes. Ergo illi promissum laudibus extulerunt: nos exhibitum iam inhonoratum relinquemus? cum praeter- tim angeli, quorum tamen nihil interest, coelesti domo relicta, in terris hanc rem vt lætam viderint, vt gratam honestarint. Si nos fratres nostri hortarentur, vt rem æquè sibi gratam quam nobis fructuosam subiremus, vt opinor, ipsorum voluntati ob- sequeremur. ~~Nulla~~ nos CHR I S T V S qui est communis om- nium nostrum frater, de vita corrigenda admonet, & gratiam pro oblato beneficio postulat: huius nos monitis non parebi- mus? qui nobiscum sic agit, & Prophetarum Apostolorumque ore loquitur: ~~Nunc~~ salus mundo contigit sine me, nullum beneficium, nisi per me. Per me vnum effectum est, vt iu- stitia, libertas, vita, pax in terra florerent: Diaboli furores, quos nulla ratione frenare poteratis à ceruicibus vestris repuli: fregi impetum dominantis, cuius vix iam sustinetis furias iacentis: Ego me pro vobis tradidi, Legem expiaui, Patris iram sedauì: omnia mea bona vobis exposui. Quid iam restat? quid habeo? quid dicam? quid faciam amplius? nonne his omnibus tantum

C

effece-

Nunc

Nulla




effecero, vt in omni hominum cœtu gratijs agendis lauder?
Non æris aceruum a vobis, non auri pondera expeto: non hircorum taurorumque sanguinem mihi præmium capio. Quid enim auri desiderio tenear, qui montes atque adeo quæcunque metalla condidi? aut carnis, qui manibus meis omnem carnem sustineo? In animis vestris omnes triumphos meos, ornamenta honoris, laudis insignia condi & collocari volo. Psallite nomini meo: voluntati satisfacietis meæ: Suscitari vos finite à prauis actionibus, & à me cum Iudex rediero suscitabimini. Gratias mihi in hac vita agite, & in æternum mecum viuentes agetis.

Quando igitur Mediator noster pro summis beneficijs, pro ineffabili charitate, pro seruitute grauissima, proque hac quæ nos beavit felicitate nihil aliud postulat: agite mentibus nostris huius temporis memoriam in sculptam retineamus, & cum Magis ad cunas ipsius procidamus: Ad te ergo conuertimur generis humani Conditor ac Redemptor Dei simul & virginis Fili I E S U C H R I S T E, tibi laudis hostiam offerimus: tibi gratias agimus quantas animo concipere, lingua proferre possumus maximas, qui verus Iusticiæ Sol exortus, tartaream peccatorum nostrorum caliginem dispuleris, diem verè alnum reduxeris: qui incomprehensibili tua misericordia incomprehensibilia beneficia nobis largitus sis. Per hoc adorandum re-staurationis nostræ mysterium, per incomparabilem charitatem, quæ te à sinu Parentis in gremium virginis, ex arce cœli in hanc lachrymosam exilij nostri vallem deduxit, rogamus, vt nos qui iure tui sumus, amore etiam tibi indies magis magisque adseras, & quod finxisti opus refingas tuum. Effice pro incredibili tuo in nos amore, vt tu quoque vnus nobis dulcescas, vnus sapias, te vno nos delectemur, te vnum admiremur ac deamemur. Et quoniam Diaboli nos semper circumstant insidiæ, exurge quæsumus Leo inuictissime de tribu Iuda, & quem non tibi.

non tibi sed nobis deuicisti rugientem leonem compeſce, ne o-
ues tuas cruento ore abreptas dilaniet. Denique quia iam ſu-
perior annus effluxit, nouus prodire incipit, renoua animos no-
ſtros Spiritus tui radijs, vt abiecta impietate priſtina vitæ nouita-
tem induamus. Quod ſi vt nunc anni, ita poſthac vitæ noſtræ
tempus curſum ſuum abſoluerit, confirma nos, vt quem alij ſibi
horribilem, eum nos fauſtum nobis diem putemus, & cum Si-
meone tua præſentia recreati in animi tranquillitate obdormi-
ſcamus, atque e custodia emiſſi in æternam iſtam domum,
quam nobis natiuitas tua aperuit abeamus, ibique
te cum Patre tuo & ſancto Spiritu ſem-
piterna laude celebremus.

D I X I.





VDIG
PV

X





1

DE LAVDIBVS
IESV CHRISTI
FILII DEI ET
HOMINIS

ORATIO

M. Calebi Trygophori
Corbacensis.

Habita Francofurti Marchionum pridie nata-
litiæ Anni labentis 88,

